

III. REGNUM MORTUORUM.

Nro. 69.

Elysium-Meum.—Die Martis 3 Oct. 1809. (Neov. 15. Sept. 1809.)

Julius Caesar.

Descriptio Characteristica Cl. Arnaud.
Mundi Universi Portentum.

Justin.

Animus est adumbrandi virum, cui nunquam similis in orbe fuit, neque futurus — qui universum eorum notum orbem aciem mentis ambiebat, cuive fortuna novissimum usque vitæ articulum obsecuta. — Erat is *Julius Caesar*. Tumultuosis reipublicæ temporibus natus, mox magnam indolis suæ alacritatem indicavit, prodiditque temeraria ambitiosaque molimina. Vix annum agens octavum decimum, Sullæ adversari ausus, cum Roma eum solum Civem agnosceret, quem carnifex hinc vita donavit. Ex hoc tempore magnitudinem suam non Democraticis nobilibusque dotibus, quarum *Cato* tam excellens ei exemplum dedit, verum orbis autocratæ superstruere adausus, dextre quosvis aliarum partium, *Pisonem*, *Lentulum*, *Catilinam*, sibi adjungere noverat, quorum calumniosæ conjurationes incredibilis suæ fortunæ basim cum ipsorum auctorum exitio constituerunt. —

Casui nihil fidens, omnia ab ingenio suo, strenuitate, alacritate sua opperiebatur; petiit impetravitque prima reipublicæ subsellia, con-

tinuo paratus, armata manu ea extorquere si denegarentur. Singulari pollebat agendarum rerum promptitudine, hancque nunquam elocavit, sed sensim ad omne, quo ambitione sua ferebatur, argumentum adplicuit. — Nulla secunda, nec adversa fortuna alacritatem ejus infringere visa est. Cogitatio de eo, quod sibi faciendum superesset, vix memoriae eorum, quæ jam patraverat locum reliquit. Exactis innumerabilibus præliis, in quibus de populis potentissimis bellicosissimisque in ignotis regionibus triumphaverat, id restabat unum: quod sui ipsius non oblitus sit. Pedibus suis advolutos cernens terrarum dominos, continua nihilominus animo vota fovēbat, quasi nihil, quod attentione tam arrogantis exelsæque mentis viri dignum esset, inter mortales præstitisset. —

Stupor admiratione jungitur, dum omnia ejus desideria molimina factaque apud animum expenduntur. — Plura majoraque in suo ingenio reperit subsidia, quam impedire, qui consilia ejus possent, nanciscereur obices, hæcque adminicula tam prompte ei parebant, quem impedimenta inexpectata erant. Temerario, qui quodammodo fortunæ ipsi dominabatur, ausui adjunxit sapientiam eventorum antistitem & aquesignanam. — Nunquam molimen suscepit, nisi prævis de mediis victoriam referendi certum se reddidisset, nunquam victorem se existimabat, nisi victos de integro fregisset. — Militum suorum idolum fuit, extra prælium indulgentissime eos

tracab
tor, e
necess
præmi
C

tutes
station
victim
potuif
nobili
secun
verun
nisa;
stita
quoti
ad Ph
la egi
niæ;
testat
pei n
restit
da p
liber
quem
bat?
bus
everit
mum
tand
ca e
paran
lamit

tractabat, in acie severus officiorum executor, exactorque; gloriam suam iis præcipue necessitati, victorias suas præcipuo eorum præmio constituit.

Comes, affabilis, amicus, liberalis, virtutes tenebat, quin probus esset; absque cunctatione omnibus iis nuncium missurus, si hac victima propior ad summam rerum accedere potuisset. — Ejus amicitia nequaquam erat nobilis is, delicatusque sensus, qua alterius secunda, aut adversa fortuna, nostra efficitur, verum benevolentia, necessitate & utilitate nisa; erat merces obsequio personæ suæ præstita consiliorum & voluntatis ejus expletioni quoties post aciem illam, quæ sortem orbis ad *Pharsalum* decidit, sanguini Civis, acie illa egressi, pepercit, e re ejus erat largitio veniæ; quippe: veniam nobilissimam supremæ potestatis actionem reputabat. Comperta Pompei nece status magni viri a populo dirutas restitui jussit, Mariitrophæa etiam restauranda præcepit. Munificentia ejus indefinita, liberalitas absque exemplo erat — at quæso, quem immensarum largitionum finem habebat? animos plebis devinciendi, cujus viribus egebat, ad vires potentiamque Senatus evertendam, copiasque devinciendas, ut: primum *Crassi*, *Pompeique* auctoritatem sternere, tandem ipsam populi delere possit.

Ambitionem ejus cogitatio salutis publicæ conhibere videbatur; cum *Rubiconem* trajicere pararet, patriæque trepidantis tantamque calamitatum, quæ hoc ausu impenderant, men-

ti obversaretur imago — at hæc cogitatio consistentem ad undas parvi Rubiconis momento solum temporis morata est, maluisset centies occumbere, occumbendoque orbis exitum accersere, quam consilio eum subjugandi, & leges ei præscribendi, rennuciare.

A prima juventute patriæ suæ imperantem necessarium esse sensit, at tanto vivacior: se patriæ suæ dominantem debere esse, sensus inerat — ad grande hocce consilium tanto occultandum magis, id velo popularitatis obvelavit, animi dissoluti, imo & licentiæ. — Combabat se, laetitiarum adpetentem simulabat, affectabat quæsitam artificiosamque juvenis placendi cultu habituque corporis cupidi, agendi rationem, qua acutissimos quoque fefellit; Sulla ex hac mollitie, quam sequebatur, periculosissimum reipublicæ hostem eum prænuñciavit, id vero divinare nequivit: Cæsarem, reliquias libertatis, quas sanguinis solum profusione conservari posse existimabat, indulgentia & veniæ largitione eversurum. —

Singularis hic vir, nequaquam tardis tranquilloque animo expensis rationibus ad finem suum tetendit; verum ex insatiabili honoris aviditate, dominandi libidine, virium suarum sensu, illo imperioso, arcanorum pleno instinctu se abripi sivit, qui nullas rationes opperitur, quique finem certius assequitur quam prudentia. Non turbabatur impedimentis, quæ ei occurrere poterant, omnia perfecit, in quibusvis obstaculis adjuvit eum

exce
ut se
tur,
ficult
erat.

fiden
dulg
quoc
es;
nem
occu
sitas
mo
soli
qua
viru
imo
hor
ne
gav
sum
qu
sus
ctis
lav
riff
tia
tio
sul
son
tat
Ca

excellens ingenium, quod ea optare potius, ut se se exerere tanto possit acrius, videbatur, etenim grandia etiam molimina, nisi difficultatibus superanda fuissent, aspernatus erat.

Singularis animi alacritas, animus supra fidem patiens, temeritas cum prudentia, indulgentia mista severitate, ars simulandi, ut quod non es, videaris, occultes contra, quod es; & difficilius adhuc artificium simulationem ostendi, quasi intima animo recondita occulere velles. Simplicitas, Candor, ætuo- sitas, affectus, meditatus, serenusque agendi modus, facilis fervidaque imaginatio juncta solido cultoque judicio — hæc suat illæ dotes, quarum, aliquæ heroem, politicum, excelsum virum formando sufficiunt, hæc *Cæsari* inerant imo iis præstabat. Ipse ille, qui 3 miliones hominum trucidavit, qui 800 urbes obsidione assultuque occupavit, 300 nationes subjugavit, opeque sui ingenii, indolisque *Colossum* illum magnitudinis potentiaque diffregit, quo universo incubuit orbi, hic ipse *vir* abusus abrogavit, leges salutare condidit, cunctis publicæ administrationis partibus invigilavit, artes excitavit & defendit, cum clarissimis Oratoribus Romanis de palma eloquentiæ contendit, linguæ vicissitudines verbarationibus adaccommodando fixit, regulis certis subiiciendo, suarumque ipse rerum gestarum scripsit *commentarios*, elegantia, nobili simplicitate excellentes, astrorum *Cursum* scrutatus, *Calendarium* emendavit.

His omnibus peractis violenta cæde eadem ipsi globo terraqueo incubuit, quem potente sua dextra tenebat, & quæso, quam modicum erat spatium, quo urna ejus continebatur! Ea documentum exemple humiliationis cujusvis humanæ imaginariæ multitudinis! — *Transivi — Et non erant!*

Sic transit gloria mundi! ita omnia brevi in hoc orbe durant tempore — guttæ durabilitas in oceano æternitatis. — Magni viri, & facta eorum guttatim dispereunt — quanta non erat de expeditione Anglicana adversus Hollandiam expectatio? — omnium ora ad eam conversa erant, & nunc! — *rursus domi est.*

Alterum attentionis punctum *Austria* est. Ephemerides universales *Vindobona die 4. Sept.* hæc continent:

„Imperatore Napoleone die 31. p. m. ex Fonte bellaqueo viam Hungariam versus ingrediente, suspicio aliqua ex parte erat: itineris scopum Colloquium cum Imperatore Austriæ esse, quam tamen ratione caruisse effectus probabat. Sua Maj. mature Posonium adpulit, tribus horis lustrandæ urbi, regionisque ad Moravam vacabat, tum Kôptsinii jentabat; Ovarini Suam Maj. morantes ibi Mandatarii ad pacis negotium, honoris causa adiverunt; hora 1. eadem Jaurinum pergit, ubi copias revidit, regionem erectaque munimenta lustrabat, usque 7. ferme vespertinam equo insidens. Sequente luce Sua Maj. reversa, lustrabat Hainburgi stationem habentes copias, & hora 3. ad Fontem bellaque-

um rediit. — Heri matutino eo adpulit *Comar* *Tschernitschaw*, ceu cursor Petropoli litteras tranquillantis argumenti attulisse videtur; eodem adhuc mane Comaromium iter prosecutus, mandato ab Imp. Napoleone quoque provius dicitur. Paulo post ejus discessum ad *C. Champaguy* Cursor expeditus est. — Spes alit: hujus adventum benignam in pacis negotium actionem exerturum. — In Bohemia versus Pilsenam & Egeram multæ copiæ coadunari dicuntur.

Neapoli die 31. Aug. Die 24. hujus 12. Anglicanæ naves, e quibus linealis, altera *Fregatta Gallipolitano* pro portu Adriatici maris provinciam *Otranto* comparuere, & locum ad deditionem provocarunt, qua denegata, eum tormentis impetere coepere. Oppugnatio die & noctis parte durabat — die 25. mane recedebat hostis, cujus oppugnatio strenue excipiebatur, die 26. plene conspectum evasit. *Gallipolis* pene omni præsidio carebat, at incolæ, & vicini alacriter urbem oramque defensuri advolantes, argumentum edidere suæ in regimen propensionis — *Gallipolis* emporium princeps *Apuliæ* est, olei, plures miliones ducatorum quotannis per aversionem, ut dicitur, inferens. Angli adgressione ejus prædæ potius, quam militaris finis rationem habuisse videntur.

Antverpia 7. Sept. Scaldis, potius exercitus borealis in duo agmina nuac divisus est, quibus cum imperio præest Princeps de *Ponte Corvo*. — *Clasficula* nostra ad sat lon-

gam distantiam regionem perspeculandam hodie suscepit.

Vindobona 6. Sept. Hodiernæ Ephemerides innuunt, Comaromio nunciari: Ser. Principem *Carolus Ambrosium*, Primatem Hungariæ, Arohi Episcopum Strigon. & Imperatriciis fratrem, primis Septembris diebus ex nervosa febre ibidem vita decessisse — necdum 23 ætatis annum compleverat — Invalescentis insalubritatis loci commorationis suæ gratia, Sua Maj. Imp. etiam Comaromio *Tatam* transiit ibidem prædium C. Illesházy inhabitaturus.

Hodie jussu Gallicani Gubernii plurima Dicasteria, nonnullæque Magnatum ædes ob-signatæ, & chartarum deprehensarum exacta perscrutatio instituta.

Intercessione, interpositioneque factum est, ut urbs Tergestum notabili bellicæ contributionis summa releveretur, in cujus vicem restans summa ocissime dependenda est.

Fama fert 2 milliones ei pendendos esse. Jam & *Flumen Gallicæ* copiæ occupant, penus Colonialium ibidem mercium satis tolerabili pretio in Hungariam vœnunt it. —

Monachio 15. Sept. Cæsareus Russicus Extraordinarius Legatus Princeps Barotinszky heri literas ab Altissima sua Aula Sux Maj. Regi remonstravit, post meridiem Sux Maj. Reginae propositus fuit. — Supra Lincium ante paucos dies navis, qua multi Gallici Officiales vehebantur, in medio Danubio mersa est, pauci duntaxat eorum salvari poterant. — In Landshut duo, pluribus annis infelici matrimonio viventes eodem die, et hora mortui sunt.